

CONCIO III:

num fere octingentesimum. Cæterum regnum Græcorum, quod diu sedem hanc affixit, convulsum est, et occupatum a Turcis occiso eorum imperatore, religionemque cum imperio amisit, adeoque in se expertum est, quod Romanis pontificibus machinabatur. Gotthi et Longobardi extincti sunt. Post hos non defuere etiam catholici aliquot imperatores qui eam sedem dejicere et evertere moliebantur, uti Henricus IV. Henricus V. Otho VI. Fridericus II. et alii nonnulli. Habet hæc sedes quandoque sibi adversum ipsum populum Rom. uti papa Eugenius, quam seditionem S. Bern. sedare conatus est, in epist. ad pop. Rom : habuit adversarios schismaticos et antipapas. In quibus omnibus persecutionibus Romani pontifices quadragies Roma exacti sunt, semper tamen ad eam revocati, ut scribit Thom. Bozzius, de sign. Eccles. tom. II. sign. LXXXVIII. cap. VI. quid hæreticos narrem, qui nunquam defuerunt, nunquam non omnibus telis ac machinis hanc sedem oppugnaverunt et evertere conati sunt? Verum ad hanc petram omnes, quotquot impegerunt naves hostium, confracta sunt, atque ita impletum est in hac sede illud vaticinium Zach. XII. Et erit in die illa, ponam Hierusalem lapidem oneris cunctis populis, omnes qui levabunt eum, concione acerbabuntur. In quem locum ita scribit S. Hier. « Mors est uribus Palæstinæ, et usque hodie per omnem Judeam vetus consuetudo servatur, ut in vinculis, oppidis et castellis, rotundi ponantur lapides gravissimi ponderis, ad quos juvenes exercere se soleant, et eos, pro varietate virium sublevare, alii ad umbilicum, alii ad humeros et caput, nonnulli super verticem, erectis junctisque manibus, magnitudinem virium demonstrantes pondus extollunt. In arce Atheniensium juxta simulacrum Minervæ vidi sphæram æneam gravissimi ponderis, quam ego pro imbecillitate corpusculi movere vix potui. Cum autem quererem, quidnam sibi vellet, responsum est ab urbis ejus cultoribus, athletarum in illa massa fortitudinem comprobari. Sensus ergo iste est : Ponam Hierusalem cunctis gentibus, quasi gravissimum lapidem sublevandum : levabunt quidem eam, et pro virium varietate vastabunt. Sed necesse est, ut dum levatur, in ipso nixu et levatione ponderis gravissimus lapis scissuram aliquam in levantium corporibus derelinquit : super Ecclesia vero sic interpretari potest, quod cuncti persecutores, qui contra domum Domini dimicarunt, inebrientur in eo calice, quem universis gentibus propinat Hieremias ut bibant et inebrientur et cadant et vomant et insaniant. » Hæc Hieron. Eodem jure potest hoc exponi et propriissime de petra illa

sedis apostolicæ, super quam fundata est Ecclesia. Omnes quotquot eam levare et amovere conati, concisi et lacerati sunt. Verificatum etiam est de hoc lapide illud Christi vaticinium : *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem ceciderit, conteret eum*, Matth. XXI. Cecidit super ethnicismum et contrivit eum : super eum cecidit hæresis et contracta est.

V. *Pretiosus*, id est, Deo charus, quomodo servus ille centurionis dicitur fuisse domino suo pretiosus, Luc. VII. Esse autem hanc sedem Deo pretiosam et dilectam, ostendunt imprimis tria. Primum, quia hæc cathedra semper a Deo conservata est et custodita cum interim aliæ sedes patriarcharum, huic subordinatae, quia ab ea se subtraxerunt, eversæ sint. Verificatum est igitur in eis Christi verbum : *Qui non est mecum, contra me est: et qui non colligit mecum, dispergit*, Luc. XII. Quodque magis mirandum, fuerunt aliquot malæ vitæ pontifices (etsi fere magnatum sæcularium potentia intrusi qui in ea cathedra sederunt : ut referunt, qui de ss. patrum vita scribunt) nihilominus tamen cathedra illa mansit sarta tecta; adeoque hinc augetur ejus gloria, ut quæ nec a malis quidem possessoribus potuit everti; planeque divina, non humana potentia et prudentia tegitur et fulcitur. In cuius rei ostensionem accidit sub Stephano VII. papa intruso, ut s. basilica Lateranensis, primaria pontificis sedes, impulsore angelo malo, ab altari usque ad portas solo penitus prostrata corruerit, solo sanctuario, in quo sedes papæ extiterit, integro reliquo, Baron. anno 897. Quæ res non obscuræ indicavit, non ruere sedem Petri, licet ruat sanctitas in capite et membris Ecclesiæ.

Secundum, quia nullo unquam tempore permitta est errare in rebus fidei vel impium quid docere. Ergo sicut lapis ætites firmat et servat a serpentum morsibus nidum aquilæ : ita lapis iste, id est, Petri sedes firmat ac servat a veneno hæresecos Ecclesiam Christi, qui velut aquila lapidem hunc in Ecclesiæ nodo posuit, cum dixit : *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*. Unde S. Cyprian. lib. III. epist. III. ait : *Ad Romanum fidem perfidia non habet accessum*. Hinc catholicum semper habitum, quod a papa decretum : *Hoc credimus esse catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum*, ait imp. Justinianus, in epist. ad Hormisdam papam, apud Baron. anno 519. De Anastasio II. Pp. refertur distinct. XIX. c. Anastasius, eum, cum sine consilio cleri communicasset cum Photino, qui communicaverit cum Acatio hæretico, repente divinitus extinctum esse, Platina in vitis pontif.

Tertium, quia etiam in terris aucta et firmata

IN FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

est opibus et potentia a piis impp. Constantino Magno et Carolo Magno imprimis; adeo ut tandem ipsam Romam, sedem olim imperatorem, in sua haberet potestate. Unde versus :

*Servierant tibi Roma prius domini dominorum,
Servorum servi nunc tibi sunt domini.*

Quæ cum ita sint, ad hanc nos petram fortiter agglutinemus. Ut enim polypus piscis, scopulum amplectens, ita firmiter ei adhaeret, ut nequeat avelli, et potius aliqua carnis ejus pars, quam ipse appellatur, ut scribit Pierius, lib. XXVII. hierogl. ita nos quoque petra huic adhaeramus. Et sicut polypus colorem etiam petra, cui adhaeret, induit, eodem auctore : ita nos vitam et mores nostros componamus ad normam petrae apostolicæ, id est, Petri, aiorumque sanctorum pontificum : *Attendite ad petram, unde excisi estis*, ait Isaias, capite LI. Attendant nos ad Petrum ejusque successores, quid docent verbo et exemplo.

CONCIO IV.

CERTAMEN VIRTUTUM INTER UTRUMQUE APOSTOLUM.

- I. In fide. — II. In amore erga Deum. — III. In zelo animarum. — IV. In pœnitentia et humilitate. — V. In magnanimitate.

THEMA.

Beatus es Simon Barjona. Matth. XVI.

Præclarum testimonium nactus est a Christo S. Petrus in hodierno evangelio : *Beatus es Simon Barjona, etc.* præclarum etiam ab eodem regnante jam in cœlis nactus est Sanctus Paulus : *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus*, Actor. IX. Et si virtutes utriusque apostoli velimus ponderare, ea in utroque tam eminentes et conformes sunt, ut ss. patres non sint ausi ferre inter eos judicium, uter alteri præstet. Ita enim S. Leo Pp. homiliam de hoc festo his concludit verbis : *De quorum (Petri et Pauli) meritis atque virtutibus, quæ omnem loquendi superant facultatem, nihil diversum, nihil debemus sentire discretum, quia illos et electio pares, et labor similes et finis fecit æquales*. Et S. Augustinus, serm. XXVII. de sanctis in hoc festo ait : « Petrus et Paulus eminent super universos apostolos, et peculiari quadam prærogativa procedunt. Verum inter ipsos, quis cui præponatur, incertum est. Puto enim illos æquales esse meritis, qui æquales sunt passione, et simili eos fidei devotione fixisse, quos simul videmus ad martyrii

gloriam pervenisse. » Jure igitur meritoque Ecclesia hos apostolorum principes uno eodemque die colit, quia paribus erant virtutibus, quia intime sibi devincti, quia eodem die per martyrii lauream cœlo nati sunt. Nos igitur horum virtutes potissimas, earumque conformitatem consideremus, ad instructionem nostram, ut simili certamine alter alterum imitemur.

I. Magna fuit fides Petri, quam ostendit primo, cum Christo roganti discipulos : *Quid de se sentirent*, ipse solus mox respondit : *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Ob quam professionem hericam promisit ei Christus claves regni cœlorum, et principatum Ecclesiæ, Matth. XVI.

Secundo, cum disputante Christo de mandatione corporis sui, et perturbatis inde discipulis quibusdam ac descendantibus a Christo, solus ipse dicenti Domino ad duodecim : *Nunquid et vos vultis abigere?* respondit : *Domine, ad quem ibimus? Verba vitae æternæ habet, et nos credimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei*, Joan. c. VI.

Tertio, quando Christo ambulante super aquas et ipse insiliit in aquas, potentiae Christi fidens, et super eas ambulavit, Matth. c. XIV. In quem locum scribens Hieronymus : *In omnibus locis ardentissimæ fidei invenitur Petrus*.

Quarto, cum tota nocte laborans nihil piscium cepisset, postea nihilominus in verbo Christi rete laxans, conclusit piscium multitudinem, Lucae cap. V. Denique, cum post Christi resurrectionem pescationi intentus audiens a Joanne, stare ad littus Dominum, misit se in mare et adnatavit Christo, Joan. cap. XXI.

Magna etiam fides Pauli, quam ostendit primo, cum mox ad Christum conversus, continuo in synagogis prædicabat Jesum : *Quoniam hic est Filius Dei* : et cum : *Convalescebat et confundebat Judæos, qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus*, Act. IX. *Non erubescerat mutationem*, ait Sanctus Chrysostomus, *neque formidabat distringere ea, in quibus antea clarescebat*.

Secundo, cum de existentia Christi in eucharistia nullum prorsus audire dubitanum voluit, scribens I. Corinth. c. X. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? q. d. estne aliquis qui hac de re audeat dubitare?

Tertio, cum fide nixus insiliit in quævis vita pericula, et pro fide immensos labores, itinera, verbera, carcerae ac tandem mortem et martyrium sustinuit.

Denique, cum angelo Dei, prædicenti navis quidem interitum, navigantium vero salutem,

fidem indubitatem adhibuit, eaque navigantes consolatus est, dicens : *Propter quod bono animo estote viri, credo enim Deo, quia sic erit, quemadmodum dictum est*, Actor. XXVII.

II. Magnus fuit amor Petri in Christum, quem declaravit.

Primo, cum indigne tulit dici Christum occidendum esse. Ob hoc enim Christum ipsum increpavit dicens : *Absit a te Domine, absit tibi hoc*, Matth. XVI.

Secundo, cum audiens a Christo : *Nisi lavero te non habebis partem mecum*, mox cessit et quasi fulmine in se vibrato dixit : *Domine, non solum pedes meos, sed et manus et caput*, Joan. XIII.

Tertio, cum promisit Christo, ab eo non separandum se etiam si moriendum esset pro ipso ; unde dicebat : *Quare non possum te sequi modo ? Animam meam pro te ponam*, Joan. XIII.

Quarto, cum Christum in horto defensurus gladium exemit et resecuit aurem Malcho, et cum captum secutus est usque in atrium principis ; et cum amare flevit ob eundem a se negatum.

Quinto, cum post Christi resurrectionem, ab eo interrogatus : *Petre amas me ?* respondit tertio : *Domine tu scis, quia amo te*, Joan. XXI.

Magnus etiam amor Pauli, imo tantus, ut Sanctus Chrysostomus, l. III. de sacerdotio scripsit : *Non est qui Paulo vehementius Christum dilexerit*.

Patet primo, ex eo, quod velut ebrios amore Christi, ubique et singulis saepe periodis nomen Jesu vel Christi repeatat in epistolis suis : quia nimur os ejus illud eructabat, quo plenum erat cor ejus. Sane ducenties decies novies repetit nomen Jesu Christi vero nomen quadringenties, et semel.

Secundo, ex eo, quod veluti ad duelum provocabat omnes hostes, aerumnas, pericula, diabulos, infernum totumque mundum pro amore Christi : *Quis, inquit, nos separabit a charitate Christi ? Tribulatio ? An angustia ? An famae ? An nuditas ? An periculum ? An persecutio ? An gladius etc ? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angelii, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro*, ad Rom. VIII.

Tertio, ex eo quod pro Christo, optabat mori, ut eo frui posset : *Desiderium habens mori, inquit, et esse cum Christo*, Philipp. I. et : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Rursum cum prædiceret Agabus eum Jerosolymis alligandum et tradendum gentibus, respondebit : Ego non solum alligari, sed et mori paratus sum propter nomen Domini Iesu*, Act. XXI.

Denique, hac charitate armatus Neronem omnesque tyrannos velut quosdam culices aestimabat ; labores, pericula, cruciatus, mortem, mille supplicia quasi ludum putabat puerorum ; vincitus pro Christo magis, quam diademate coronatus gloriabatur, etc.

III. Magnus fuit in Petro zelus animarum. Primo enim die pentecosten primus Christum publice prædicavit, et tria millia hominum convertit, Act. II. secundo, primus ipse gentilibus ad evangelium præbuit aditum, cum Cornelium centurionem adiit, instruxit et baptizavit cum tota domo, Actor. X. tertio, ad confutandum Simonem magum, qui Romæ suis magis populo illudebat, Romanum e Syria navigavit, ut testatur S. Hieronymus, de script. eccles. in Petro : quarto, amore lucrandarum animarum, suasu Christianorum e carcere et Roma profugit, tametsi enim passionis erat cupidissimus, rogatus tamen ut ad instituendum et confirmandum populum se reservaret, paruit, Ambrosius in Auxent. de Basil. non trad.

Magnus etiam zelus Pauli, imo maximus et incredibilis. Primo enim, ferventissime instabat prædicationi verbi Dei, in eoque officio plurimas regiones peragravit, a Jerusalem usque ad Illyricum et Italianam.

Secundo, per epistolas adhortatus et consolatus est varias Ecclesias et episcopos absens et quandoque in vinculis constitutus.

Tertio, quasi totius mundi pater esset aut mater, pro omnium salute extreme sollicitus fuit, omnibus omnia factus est, ut omnes Christo lucifaceret, nullam etiam mercedem pro labore prædicationis recipere volens, sed labore manuum vicitans, denique scribere non dubitans : *Optabam ego ipse anathema a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem*, Rom. IX. Anathema, id est, succisus et separatus a gloria Dei (citra tamen culpam suam, si fieri posset) ut mea damnatione beare possem Judæos.

IV. Magna fuit Petri pœnitentia et inde prognata humilitas. Nam primo, conspecto miraculo in capture piscium dicebat Domino : *Exi a me, quia homo peccator sum* : similiter in lotione pedum, horrore concussum, Dominum a se repulit : *Dominine, tu mihi lavas pedes ?*

Secundo, pro peccato abnegati Christi, exiens de atrio (quasi indignum se hominum consortio aestimaret) flevit amare ; et licet sciret culpam hanc dimissam sibi a Christo, tamen singulis noctibus ad galli cantum procidens in genua, lacrymis uberrimis illam deflevit, adeo, ut oculi ejus ex assiduo ploratu apparerent quasi san-

guine respersi, et genæ sulcatæ, ut scribit S. Clemens, et Nicephorus, l. II. c. XXXVII.

Tertio, martyrium crucis subiens, petiti, ut capite deorsum et pedibus in sublime elevatis crucifigeretur, asserens se indignum, qui sic crucifigeretur ut Dominus suus, secundum Hieronymum de script. eccles. in Petro : vel, ut ait Theodoretus, orat. de char. quod vereretur, ne eadem cum Christo passio eundem sibi ab insipientibus honorem conciliaret. Miratur hoc S. August. homil. XXIX. de sanctis : « In illa, inquit, cruce imitari metuens sacrificium redemptoris, capite in terra demergi elegit. O virtus humilitatis ingentæ ! Honorari etiam supplicii genere pertimescit, et qui non recusat Dominici tormenta patibili, similitudinem expavescit triumphi. » Magna item S. Pauli, qui primo se infra omnes dejecit apostolos, scribens : *Ego sum minimus apostolorum qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei*, I. Corinth. XV. et : *Christus Jesus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere, quorum ego primus sum*, I. Tim. I. et I. Cor. XV. vocat se abortivum.

Secundo, palam prædicat peccata sua, ut I. Tim. I. ubi ait : *Blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus, (Græce violentus.)* Ad hæc stimulo carnis sese infestatum fuisse fatetur, II. Cor. XII.

Tertio, iugi mortificationi et carnis castigationi addictus fuit : *Castigo corpus meum, inquit, et in servitutem redigo*, I. Corinth. IX. et II. Corinth. IV. Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, etc.

V. Maxima fuit Petri magnanimitas, primo, dum non Judæos solum, verum etiam principes eorum redarguit ob necatum Christum. Sic enim Actor. II. ait Judæis : *Hunc per manus iniquorum afflentes interemisti* : et Actor. III. *Vos sanctum et justum negasti, et petistis virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitæ interfecisti*, quem Deus suscitavit a mortuis, cuius nos testes sumus : et Actor. IV. principibus sacerdotum interrogantibus : *In qua virtute, aut in quo nomine fecisti ? hoc vos, respondit : Notum sit vobis et omni plebi Israel, quia in nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixisti, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste adstat coram vobis sanus* : et infra : *Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, judicate : non enim possumus, quæ vidimus, et audimus, non loqui* : et cap. V. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus, Deus patrum nostrorum suscitavit Iesum, quem vos interemisti suspendentes in ligno.* Deinde, ad martyrium forti animo regressus est in urbem, cum a Christo obvio audisset : *Vado Romam iterum crucifigi*.

Nec minor Pauli virtus, qui primo libere prædicabat omnibus philosophis, tyrannis, judicibus. Coram Felice præside animose disputabat de justitia, castitate et futuro judicio, eumdemque percult et tremefecit, Actor. XXIV. vinctus item prædicabat Christum Festo præsidi, Act. XXVI.

Elymam magum acriter redarguit et cæcitate percussit, Act. XIII. coram tribunali Neronis ab omnibus desertus solus ipse se defendit, II. Tim. IV. ejusque minas et ferociam omnem contemptis, imo tunc in primis suis vinculis multos ex aula Neronis convertit, ad Philip. IV. in secundis vero pellicem Neronis convertit, et ab eo abstraxit.

Deinde, vita discriminata, vincula, tormenta, invicto animo adiit et sustinuit, ad martyrium deinde cum Petro urbem rediit, ut habent acta SS. Processi et Martiniani. Similiter Act. XXV. ait : *Spiritus sanctus per omnes civitates mihi protestatur dicens, quoniam vincula et tribulationes Hierosolymis me manent, sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quam me*.

Quoniam igitur horum principum pares erant virtutes, paribus etiam privilegiis, quoad multa saltem, dotavit eos Christus. Primo, pari fere miraculorum virtute. Quemadmodum enim umbra Petri languidos sanavit, Actor. V. ita etiam Pauli sudaria et semicinctia, Actor. XIX.

Secundo, Petrus velut prorex Christi totum orbem rexit : Paulus velut præco Christi, totum pene orbem docuit.

Tertio, in eadem urbe, orbis capite, eodem die pro Christo martyrium, tametsi non idem, passi sunt. Paulus velut civis Romanus capite plexus est : Petrus velut exterus et vili genere prognatus, in crucem sublatus. Nimurum : *Quomodo in vita sua dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati*, ut Ecclesia canit. Extat adhuc Romæ extra S. Pauli portam monumentum ejus loci, in quo se invicem discedentes, sibi mutuo valedixerunt, cum ad martyrium ducerentur, Petrus ad montem aureum, Paulus ad aquas Salvias.

Quarto, quo loco simul vixerunt, et Christi cooperati sunt, eodem quoque requiescent usque in hanc diem. Capita quidem amborum in Laterana, corpora vero ad S. Petrum eodem loco honorifice reposita sunt ; quodque est mirandum, sepulchra eorum etiam inter persecutores et persecutiones clarissima semper extiterunt, ut testatur Caius antiquus theologus circa annum Domini 200. apud Euseb. II. histor. cap. XXIV. eademque frequentata fuerunt a fidelibus ipsis persecutionum temporibus, ab usque remotissimis regionibus, ut acta plurimorum martyrum indicant.

CONCIO V.

Denique, his duobus apostolis debemus primum imperatorem christianum Constantiū Magnum; cui apparuere baptismum suadentes, et Silvestrum pontificem accersiri ad hoc jubentes.

CONCIO V.

GLORIA ET PRÆCELENTIA PRINCIPUM APOSTOLORUM.

I. SS. apostoli columnæ duæ in porticu templi. — II. Columnæ Apocalypticæ. — III. Columnæ in deserto. — IV. Columnæ marmoreæ sponsi. — V. Columnæ cœnaculi Philistinorum.

THEMA.

Vos autem quem me esse dicitis. Matth. XVI.

Solebant olim veteres heroibus, et apud Athenas viris pro patria occisis erigere obeliscos et columnas ad æternam eorum gloriam, teste Pierio, Val. in hierogl. XLIX. Tales in hodiernum visuntur adhuc Romæ, et imprimis duæ columnæ insigniores: quarum altera Trajani, altera Antonini imp. erat, utriusque victoris et triumphis exornatae et cælatae, tam illustres, ut simile quid in orbe non reperias, sive materiam spectes, sive altitudinem (Trajani enim est 128. pedum) sive cælaturam, sive amplitudinem, sive cochleam, qua ab imo ad culmen per 185. gradus introrsum ascenditur, sive culminis coroni et cancellos tanta latitudine, ut plures circum circa inambulare possint. Et vero haud absque Dei providentia factum credi debet, ut tam præstantes columnæ in arce religionis hodieque remanserint; debebant enim non tam Trajano et Antoninò, quam Petro et Paulo, principibus Ecclesiæ, quæ principale suum domicilium Romana in urbe posuit. Unde merito Sixtus V. pontifex eas illis consecrans, columnæ quidem Trajanii statuam S. Petri, Antonini vero statuam S. Pauli, utramque ex aurichalco fusam, magna et conspicua forma imposuit. Nimirum quia hi apostoli veræ præstantissima Ecclesia columnæ erant. Sic enim eas vocat Sanctus Dionysius, in epist. ad Timoth. de morte Pauli: « Adveniente, inquit, terribili tempore consummationis ipsorum, cum separarentur ab invicem, ligaverunt columnas mundi, etc. » et S. Chrysostomus, hom. XXXII. in epist. ad Rom. « Considerate, inquit, quale spectaculum visura sit Roma in resurrectione: hinc rapietur Paulus, inde Petrus in occursum Domini. Propterea celebra hanc urbem, non propter copiam auri, non propter columnas, neque propter aliam phantasiam, sed propter columnas mias Ecclesiæ. » Quod si ergo nos interrogarent

Petrus et Paulus: Vos autem, quos nos esse dicitis, respondere vellemus: Vos estis columnæ mundi et Ecclesiæ, ut videbimus.

I. Dico vos esse binas illas columnas, quas extixit et statuit in porticu templi Salom. III. Reg. VII. quarum altera vocabatur *iachin*, id est, directio, et regimen; altera *boos*, id est, fortitudo seu fortis executio; et unaquæque suum habebat capitellum, quasi mitram. Hæ columnæ Petrum et Paulum designant tamquam duces Ecclesiæ præpositos a Christo vero Salomone; prior designat Sanctum Petrum, cui reginem Ecclesiæ supremum a Christo commissum, seu potestas jurisdictionis: posterior Sanctum Paulum, qui gentium doctor et orbis magister designatus, plenariam accepit a Christo potestatem prædicandi evangelium toti orbi, ut testatur ipse, I. Tim. II. dicens: *Positum sum ego præparator et apostolus (veritatem dico, non mentior) doctor gentium in fide et veritate.* Petrus a Christo vocatus et factus est petra seu firmum et stabile fundamentum Ecclesiæ: Paulus vocatus et factus est a Christo vas electionis ad portandum nomen ejus coram gentibus. « Petro, ait S. Augustinus, serm. XXVII. de sanctis, sicut bono dispensatori clavem regni cœlestis dedit: Paulo tamquam idoneo doctori gentium, magisterium ecclesiasticæ institutionis injunxit, scilicet ut quos iste erudierit ad fidem, ille suscipiat ad salutem: ut quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna cœlorum; clavem enim quodammodo a Christo scientiæ et Paulus accepit: » et paulo infra: « Ambo igitur claves a Domino perceperunt, scientiæ iste, ille potentia. Divitias immortalitatis ille dispensat: scientiæ thesauros iste largitur. » Hæc Aug. summus sacerdos olim in rationali suo gerebat scripta duo hæc verba *urim et thummim*, id est, *doctrina et veritas*, Exod. XXVIII. Figurabat autem Christum Dominum, qui Ecclesiam suam recturus erat doctrina et veritate. Docendi potestatem dedit Paulo jurisdictionem et regimen Petro ad destinandum et decernendum veritatem, id est, dogmata, sanciendas leges, etc. unde hic quasi manus ejus dextra, ille velut sinistra fuit; quamquam subordinatus erat Paulus Petro, quo modo Josue dux belli Moysi, Exod. XVII. Ibi enim jussit Moyses Josuen pugnare contra Amalec, ipse interim tendebat manus ad cœlum et orabat: *Egressus pugna contra Amalec*, inquit Moyses, *cras ego stabo in vertice collis habens virginem Dei in manu mea.* Moyses cum virga pastorali regiminis sui Petrum designat gubernantem: Josue pugnans, Paulum prædicantem. Unde in vita S. Clementis refertur Paulum dixisse Petro: *Tu ore*

IN FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

et ego disputabo: hinc apposite Petro appinguntur claves, Paulo gladius.

II. Dico eos esse binas illas columnas descripas, Apocal. X. Ibi enim vidit Joannes angelum habentem in manu libellum apertum, et pedes tamquam columnas igneas, quorum dextrum posuit super mare, sinistrum super terram. Significat Christum, qui duobus illis pedibus seu columnis igneis peragrans orbem terra marique promulgavit evangelium suum, quod significat libellus apertus.

De S. Petro ait S. Leo, serm. I. in hoc festo: « Jam populos, qui ex circumcisione crediderant, erufieras: jam Antiochenam Ecclesiam ubi primum christiani omnis nominis dignitas est orta, fundaveras: jam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam atque Bithyniam legibus evangelicæ prædicationis impleveras, nec ut dubius de preventu operis, aut de spatio tuæ ignarus etatis, trophyum crucis Christi Romanis arcibus inferebas, etc. » Sunt qui eundem in Africam et Britanniam pervenisse scribunt. Paulus autem, ut testatur ipse ad Rom. XV. ab Hierosolymis usque ad Illyricum per omnes interiacentes provincias, et ab Illyrico in Italiam et Hispaniam propagavit evangelium.

De eodem scribit S. Chrysost. hom. IV. de ejus laudibus: « In tantum virtute progressus est, ut vix triginta annorum spatio Romanos et Persas, et Parthos, et Medos, et Indos, et Scythas, et Æthiopes, et Sauromatas, et Saracenos et omne prorsus humanum genus sub jugum mitteret veritatis. » Unde Ecclesia eum doctorem orbis et apostolum antonomastice vocat. Porro igneas fuisse has columnas patet ex vi et efficacia prædicationis eorum, Petrus enim prima concione convertit tria millia, Act. II. Secunda concione quinque millia, Act. IV. Paulum ob prædicationis virtutem admirandam Lycaonii putabant deum, et vocabant Mercurium, volentes ei sacrificare, Act. XIV. Denique, S. Augustinum ferunt tria optasse videre: Romanum triumphantem, Christum in carne ambulantem et audire Paulum prædicantem, ut alibi diximus. Vel terra significat, populum Judaicum, qui olim frugifer erat: mare populum gentilem, sterilem, errorum fluctibus agitatum. Petrus autem initio Ecclesiæ prædicavit Judæis, Paulus gentilibus, ad Gal. II. *Creditum est mihi evangelium præputii sicut et Petro circumcisionis*; quia scilicet initio prædicationis suæ dividebant operas; Petrus Judæos, Paulus gentiles suscepserat erudiendos. Sed cur pedem dextrum Paulo, sinistrum Petro, tribuimus? Quia Petrus vocatus ad evangelizandum a Christo in terris degente, Paulus autem ab eodem in cœlis

constituto: dextra autem cœlum, sinistra terram denotat, ut respondet S. Thomas, in epist. ad Gal.

Sed tandem quia repellebant Judæi evangelium, retraxit Deus ab illis etiam alterum pedem, et ad gentes migravit; speciatim vero hos apostolos ad occidentem nostrum misit; et eorum opera convertit Europam, ut merito eos apostolos nostros dicere possimus.

III. Dico esse columnas illas, quæ Israelem duxerunt per desertum ad terram promissionis, Exod. XIII. Columnam nubis Petrum, columnam ignis Paulum; siquidem ille Judæos initio Ecclesiæ, uti dixi, Dei cognitionem habentes: hic vero gentiles in nocte ignorantia oberrantes duxit ad beatitudinem. Porro uti per columnas illas Deus et locutus et mira operatus est, tutatus est Israelem, submersit Pharaonem, Ezod. XIV. ita et per apostolos illos. Nulli enim leguntur majores patrassæ virtutes, oportet hi duo apostoli. Petrus claudum ad se osam templi portam erexit, et sanavit sacerdotem cum ingenti hominum stupore, Act. III. Asiam et Sapphiram ob fraudem factam, sola vocis sue sententia extinxit, Actor. V. ibidem umbra Petri sanasse infirmos dicitur. Æneam diu ægrotantem mox sanavit et Tabitham a morte resuscitavit, Act. IX. idem ab angelo ex carcere mirabiliter eruptus est, Act. XII. denique, Romæ mira plurima patravit, et in primis Simonis magi præstigias varie detexit, vicit et confudit, ipsumque demum ex aere volantem, orante interim Petro, dejecit et perdidit, ut scribunt Hegesippus, Clemens et alii; Paulus, Elyma magnum solo verbo excœavit, Act. XIII. claudum natum mox erexit, Act. XIV. dæmonem ab Pythonissa ejecit, Act. XVI. carcerem oratione sua aperuit, ibidem: ejus sudaria et semicinctia curabant languores et pellebant dæmones, Act. X. adolescentem de fenestra lapsum a morte suscitavit, Actor. XX. naufragos ab interitu salvavit meritis suis, Actor. XXVII. in Melite viperam manui hærentem excussit sine damno, Act. XXVIII. imo ex tunc eam insulam serpentibus infestam fecit, ita ut serpentes et scorpiones etiam aliunde eo deportati, qui alibi sunt lethales, ibi sint innoxii, et ut terra ejus insulæ antidotum sit veneni, Baron. anno 58.

His tam grandibus miraculis duxerunt mundum ex Ægypto in Chanaan, id est, de gentilismo ad christianismum, de tenebris ignorantiae ad lucem veritatis.

Ad hæc Paulus columnæ ignis erat, qui in tenebris errorum constitutos illuminavit prædicando: Petrus columnæ nubis, qui peccatores incedentes in æstu, id est, statu damnationis suscepit et protexit, remittendo eis peccata.

IV. Dico eos columnas binas illas esse, de quibus Cant. V. dicitur : *Cura illius (Christi) columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Columnæ, inquam, marmoreæ sunt pedes Christi, Petrus et Paulus, quibus velut pedibus, ut supra diximus, orbem peragravit : quia fortissimi et invictissimi erant, adeo ut sua constanza et fortitudine confirmarent omnes, juxta id, Rom. XV. *Debemus nos firmiores imbecillitatem infirmorum sustinere.* Nimirum uti pedes corpus, ita hi apostoli sua fortitudine sustentabant Ecclesiam. Petri mira fortitudo apparuit ex Actor. c. II. III. IV. ubi animosissime redarguit Iudeos ob scelus in Christum admissum, ut omnes admirarentur ejus constantiam ; et cum magistratus ei injungeret silentium de Christi nomine, audacter se opposuit, dicens : *Non possumus quæ vidimus, et audivimus, non loqui,* Act. III. Pauli invictus animus emuluit initio statim conversionis ejus, dum : *Convalescebat et confundebat Iudeos, qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus,* Actor. IX. Eniuit coram tot tribunalibus, quibus adstitit intrepidus, et imprimis coram Nerone sævisimo judge, pro animi libidine omnia faciente, cuius judicium adeo pavendum existimatum fuit, ut Paulum in eo discrimine positum, omnes discipuli atque amici dereliquerint pre timore. Testatur hoc ipsem Romæ custoditus scribens ad Timoth. epist. II. c. IV. *In prima mea defensione, inquit, nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt : non illis imputetur. Dominus autem adstitit et confortavit me, ut per me prædicatio impleatur et audiatur omnes gentes,* (meam intellige libertatem, qua coram Nerone prædicavi) *et liberatus sum de ore leonis, id est Neronis : et cap. I. Scis hoc, quod aversi sunt a me omnes, qui in Asia sunt.* Ad hæc nulli apostolorum majoribus attriti laboribus sunt, quam illi. Suos ipse recenset apostolus, II. Corinth. XI. *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagiis supra modum, in mortibus frequenter, etc.*

Nimirum hæ columnæ fundatæ erant super bases aureas charitatis, ideo tan. fortes et infractæ. Unde exclamat Paulus ad Rom. VIII. *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? An angustia? An fames? An nuditas? An periculum? An persecutio? An gladius?* Ceteri sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei.

V. Dico eos esse columnas illas duas cœnacula Philistinorum, Jud. XVI. quibus a Samsone, fractis corrut cœnaculum et obrivit (summo Hebraeorum gaudio et commodo) principes Phi-

listhæos, et quotquot cum illis erant. Ita enim mors et martyrum horum duorum apostolorum magnum Ecclesiæ emolumentum, damnum vero ingens gentilitati attulit ; Ecclesiam ædificavit, illustravit, auxit et confirmavit : gentilismum convulsit, confudit, comminuit. Illorum sanguine fides quasi irrigata, mirifice est propagata, et innumeris Christiani ad martyrium veluti elephantes accensi sunt. Unde S. Leo, in serm. I. de hoc festo : *Duo ista, inquit, præclara divini seminis germina, in quantum sobolem pullularint, beatorum martyrum millia protestantur, quæ apostolorum æmula triumphorum, urbem nostram purpuratis lateque rutilantibus populis ambierunt, et quasi ex multarum honore geminarum conseruo uno diadema coronarunt.* Sic ille. Nimirum ubi hi duo duces prælium contra tyrannos inchoarunt, illico magno animo subsecutus est Christianorum exercitus. Ubi illi duo mœnia urbis primi concenderunt, et vexillum martyrii in eis erexerunt, certatim et alii irruperunt. Neque mirum. Videbunt enim in ducibus illis suis ingentem charitatem pro Christo patiënti, ipsumque imitandi desiderium, fortitudinem in ipsa passione, miracula consecuta : viderunt circa Petri crucem angelos stantes cum coronis de floribus rosarum, et liliorum; Petrum a Christo librum accipientem et verba extrema, quæ loquebatur, inde legentem ac cum Christo loquentem, unde ita cœperunt lætari et gaudere coram Domino, ut ipsi increduli et carnifices videntes eos exultare et lætari, quos prius tristes viderant et plangentes, subito contabescerent animo, ut habetur in actis passionis ejus sub Lini nomine, et aliis : videbunt Paulum cervice præcisa, pro sanguine lac fudisse, Ambros. serm. LXVIII. apparitores et carnifices ejus inde conversos, Chrysost. orat. in principes apost. Beda Usuard. martyrol. Rom. resectum Pauli caput tres in terra quasi saltus dedisse, et quolibet saltu fontem e terra elicuisse, qui adhuc visuntur et fluant Romæ, meminique ex eis me bibisse : viderunt eorum corpora, cum ab orientalibus asportarentur ad catacumbas, secundo ab urbe milliari, et per tonitrua et fulgura retenta esse, ne ulterius ferrentur, Gregor. lib. III. epist. XXX. viderunt sepulcre eorum adeo glorificata, ut passim ex toto orbe christiani imp. reges et principes ad ea videntur et colenda confluenter. Ex hoc vicissim res gentilium pessum ire cœperunt. Nero, qui apostolos neci dedit, priusquam annum vitæ postea compleret, crebris provinciarum defectionibus perterritus, desperatione meliorum, cum ab odiosis omnibus queri se ad necem sciret, profugus sibi ipsi mortem intulit, ibid. junii, ætatis anno

32. Baron. anno 70. Sed Orosium S. Augustini discipulum audiamus, qui, lib. VII. hist. ita scribit de Nerone : « Primus Romæ Christianos suppliciis et mortibus affecit, ac per omnes provincias pari persecutione excruciani imperavit, ipsumque nomen extirpare conatus beatissimos Christi apostolos Petrum cruce, Paulum gladio occidit. Mox acervatum miseram civitatem obores undique clades oppressere. Nam subsequente autumno tanta urbi pestilentia incubuit, ut triginta millia funerum in rationem Libitinæ venirent. Britannica deinde clades e vestigio accidit, qua duo præcipua oppida magna civium sociorumque clade et cæde direpta sunt. Præterea in oriente magnis Armeniæ provinciis amissis Romanæ legiones sub jugum Parthicum missæ, ægreque Syria retenta est. In Asia tres urbes, hoc est, Laodicia, Hierapolis, Colossæ, terre motu conciderunt. At vero Nero postquam Galbam in Hispania imperatorem creatum ab exercitu cognovit, totus animo ac spe concidit. Cumque incredibilia perturbanda, imo subruendæ reipublicæ mala moliretur, hostis a senatu pronuntiatus, ignominiosissime fugiens ad quartum ab urbe lapidem sese interfecit, atque in eo omnis Cæsarum familia consumpta est, etc. » Hæc Oros. Et paulo infra : « Luit Roma cædibus principum, excitatio civilibus bellis recentes christianæ religionis injurias : et signa legionum illa, que sub adventu in urbem Petri apostoli divinitus coercita convelli nullo modo ad excitandum civile bellum valuerant, quod per Scribonianum parabatur, Petro in urbe interfecto et Christianis poenarum diversitate laniatis, toto se orbe solverunt. » Sic Oros. Certe eo anno quatuor impp. perire : Nero seipsum occidit ; post Galba a militibus occisus est ; Otho etiam seipsum interemit ; deinde Vitellius a copiis Vespasiani cæsus est, Baron. an. 81. Summa ; postquam hæ duæ columnæ concussæ fuerunt, corruere cœpit dominatus impp. Romanorum totaque idolatria, tandemque factum ut Petrus in suis successoribus sedem ac supremum imperium Rome obtineret, ejectis imperatoribus. Quod et Sybillæ prædixerunt apud Lactant. lib. VII. c. XV. « Interitiram scilicet esse Romam, et quidem judicio Dei, quod nomen ejus habuerit invisum, et inimica justitiae alumnus veritatis populum trucidarat. » Nec desuere eo tempore prodigia, quæ ejusmodi mutationem prænuntiabant, gentilismi scilicet in christianismum. Etenim Plinius tunc vivens et videns, I. II. hist. c. XXXVIII. et I. XVII. c. XXV. Mirum ostentum, inquit, et nostra cognovit ætas, anno Neronis principis supremo : pratis oleisque intercedente via publica in contraria sedes transgressis : et I. II. c. CIII. Am-

nes retro fluere et nostra vidit ætas, Neronis principis annis supremis. Quæ quid aliud portendebant, nisi migrationem idolatriæ in religionem christianam, sedem imperatorum transituram in sedem pontificum, et statum mundi non jam amplius ad impietatem, adeoque ad orcum et interitum ruituri, sed ad vitæ sanctioris ipsiusque æternæ beatitudinis culmen ascensuri.

Quare merito, o Roma, beatam te prædicamus, quæ has mundi et Ecclesiæ columnas tuo gremio contines. Idcirco enim exclamat Ecclesia : « O felix Roma, quæ tantorum principum es purpura pretioso sanguine ; non laude tua sed ipsorum meritis excellis omnem mundi pulchritudinem. » Sed et felix patria nostra, felix Europa tota, quæ Dei veri cognitionem, fidem Christi, vitam cultiorem et quidquid habet boni, horum apostolorum accepit beneficio, siquidem hi nos : *Vivere docuerunt*, ut ait S. Bern. serm. I. in hoc festo. Viximus enim prius ut pecudes, vivimus nunc ut homines : viximus ut morituri, vivimus ut aeternum victuri. Rogemus autem dilectissimi, ut ne in patria nostra corruant hæ columnæ. Væ enim nobis, si Petrus clavem sui regiminis, Paulus gladium verbi Dei abstulerint a nobis : quid enim aliud conquereretur, nisi ruina Ecclesiæ nostra ?

CONCIO VI.

CURA BONI NOMINIS HABENDA.

I. Quia proximum ædificat. — II. Retinet a multis peccatis. — III. Bonitatem tribuit actibus. — IV. Difficillime recuperatur. — V. Deum glorificat.

THEMA.

Quem dicunt homines esse Filium hominis.
Matth. XVI.

In præclaro et prolixo illo sermone, quem habuit Dominus in monte post electionem duodecim discipulorum duo inter alia tradit. Primum : *Sicut luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in celis est : alterum : Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Quæ documenta contraria sibi videntur, vult enim in primo, videri opera nostra ab hominibus, in altero non vult. Sed facilis est solutio ex ipsis Christi verbis. Vult enim videri ab hominibus opera nostra bona, sed ut per hæc glorificetur Deus, non ut videamur aut glorificemur nos. Sic etiam vult ac præcipit, ut luceat fama nostra bona coram hominibus : non debemus tamen querere illam

ad gloriam et jactantiam nostram : sed ad Dei gloriam, proximi ædificationem et salutem propriam. Pulchre hoc idem docuit exemplo suo Dominus in hodierno evangelio. Voluit enim famam suam lucere coram hominibus: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Sed ne videretur eam quererere ad jactantiam et gloriam suam, non dixit: *Quem me dicunt homines?*, sed: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?*, quasi alium insinuans. Hinc ergo nos docemur non negligere famam nostram, nec contenti esse bona conscientia, quidquid alii de nobis dicant, etc. Ssd curare etiam ut bene audiamus, *juxta id Eccles. XLI. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi et magni.* Docemur interim et hoc, ne ex ambitione queramus bonum nomen, sed ad gloriam Dei, proximi ædificationem, et propriam salutem, uti mox videbimus.

I. Quia bona fama tua proximum ædificat: mala vero destruit et offendit, necon in malo firmat; siquidem homines externam conservacionem aspiciunt, intentionem non vident. Hinc S. August. serm. I. de vit. com. cler. ait: *Duae res sunt conscientia et fama, conscientia tibi, fama proximo necessaria est.* Qui fidens conscientię suę, famam suum negligit, crudelis est. Sic ille. Ratio quia sicut fœtor extinctæ candelæ de sævo offendit narres, et si credimus Aristot. l. V. animal. perimit fœtum matris in utero: sic mala fama tetrum gignit odorem coram hominibus; bonos offendit et scandalizat, ac bona eorum proposita jam concepta elidit: malos in malo firmat et pejores facit. De B. Catharina Sennensi accepimus, eam nares occludere solitam, quoties ei quis obscenus et venereis criminibus obnoxius occurrit, Deo sic permittente, ad fœtorem infamis hujus sceleris indicandum: sic unus malus rector offendit tetro suo odore omnes subditos; unus domesticus infamis totam domum; unus clericus infamis reliquis sæpe maculam aspergit, et alios ab hoc statu avertit, etc. Ut enim qui cum fœtente homine incedit, gravatur et aliquid ab ipso terti odoris contrahit: sic qui communicat infami, ejusdem infamie labe non solum gravatur, sed et aspergitur. Et quia vulgus pronus est ad offensionem, idecirco non solum crimen, sed etiam suspicione criminis abstinere oportet, *juxta id I. Thes. V. Ab omni specie mala abstinet vos.* Hæc causa est, cur Lev. XI. Deus prohibuerit edi camelum, cuniculum, leporem, suem, cynum, noctuam, aquilam; quia figura et ingenio suo gravia adumbrant vitia, camelus superbiam, chærogryllus seu cuniculus avaritiam, lepus timorem mundanum, sus libidinem, noctua prudentiam

carnis, aquila rapacitatem, cynus in aqua et terra degens ingenium politicorum. Contra bona fama recreat et allicit ad virtutem proximos. Quemadmodum enim columbae cicures prius unguento quodam delibutæ ab aucupibus, ut scribit S. Basil. epist. CLXXV. alias columbas odore suo pelliciunt et in decipulam adducunt: ita qui bonæ famæ odorem habent, alios ad virtutem amandam et coelendam allicit juxta id apost. II. Cor. II. *Christi bonus odor sumus, Deo in iis, qui salvi sunt et in iis qui pereunt.* Sic Joan. Baptista optimum odorem suum reliquit in naribus Herodis, ut licet ejus vitia argueret, ab eo tamen magni aestimaretur et timeretur. Sic Caecilia virgo Valerianum sponsum suum Christo adduxit, postquam ille prima nuptiarum nocte fragrantissimum castitatis odorem in conclavi ejus percipisset. Sic odor unius bene moratæ et piæ civitatis longe lateque propagatur, et provocat alias ad virtutem. Bene igitur S. Aug. l. de bono vid. c. XXII. ait: « Quisquis a criminibus flagitorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi bene facit, quisquis autem etiam famam, in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama. »

II. Quia retinet hominem a peccatis saltem publicis, et conservat in bono ac virtutibus. Unde recte bona fama comparatur cortici: ut enim cortex licet vilius sit arbore vel nucleo, conservat tamen arborem vel nucleus, quæ sine eo cito corrumpuntur; ita bona fama licet minus bonum sit quam virtus, virtuosam tamen et honestam vitam conservat. Qui enim bene semper audit, de probitate vita commendatus fuit, timet utique perdere tantum bonum, quale est bonum nomen, quod teste Sap. Prov. c. XXII. *Melius est quam divitiae multæ:* et Eccles. VII. *Quam unguenta pretiosa.* Ut ergo divitiae sedulo reconducent ne perdantur, et unguenta: *Ne muscas morientes perdant odorem ejus,* ut ait Eccles. cap. XVI. sic custoditur bonum nomen. Hinc II. Macchab. VI. Eleazarus ille Judeus celeberrimus, cum ab Antiocho rege compelleretur contra legis sua præscripta comedere carnem porcinam: « Cogitare cœpit etatis ac senectutis sua eminentiam dignam et ingenitam nobilitatis canitiem, atque a puero optimæ conversationis actus, et secundum sanctæ et a Deo conditæ legis constituta respondit cito, dicens, præmitti se velle in infernum: Non enim etati nostræ dignum est, inquit, fingere, ut multi adolescentes arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transiisse ad vitam alienigenarum, etc. » En modo eum nominis sui celebritas retinuerit ab indecoro?

Contra qui malæ famæ est, non dicit sibi decori, etiam gravia piacula committere. Ut enim qui vestem novam gerit, non in quovis loco consideret, sed prius diligenter eum purgat: postquam vero attrita est vestis et quotidiana facta, nihil amplius curat; quocumque loco sedeat: ita quamdiu quis bonum nomen retinet, tamdiu etiam metuit turpia committere; ubi vero illud perdidit, nihil amplius curat. Patet ad oculum in iis, qui aliquando publica infamia affecti sunt; et qui fascibus cæsi, vel auribus truncati, vel in numellis steterunt, qui rarissime emendantur; sed plerumque pejores sunt. Item in meretricibus. Item. III. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, nolusti erubescere.* De his ait Job, cap. XV. *Abominabilis et inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem.* Homines enim malæ famæ, bibunt iniquitatem, quia sine scrupulo aut metu suæ ignominiae ebibunt res vetitas: homines vero laudati, comedunt eas potius, quia non subito deglutiunt, sed prius bene masticant considerando et ponderando, quantum suo nomini dedecoris accessum sit, si tam graviter delinquant. Itaque famam negligere nihil est aliud, quam vitis fræna laxare, et tales ad exitum tendere, manifestum est argumentum: sicut quando æger nihil amplius comedere, sed bibere tantum vult, mortem sibi vicinam denuntiat, *juxta id Psal. QVI. Omnem escam abominata est anima eorum, appropinquaverunt usque ad portas mortis:* unde merito talis vocatur a Job *inutilis homo.*

III. Quia bonitatem quodammodo et rectitudinem tribuit omnibus actibus tuis: ita ut communiter bonum reputetur a vulgo, quod sit a bono et laudato viro: malum quod sit a malo. Unde et Dominus, Matth. XII. dixit: *Bonus homo de bono thesauro profert bona, et malus homo de malo thesauro profert mala.* Hinc cum de viro bono malum aliquid dicatur, a bonis difficile cernitur, vel excusari solet: atque ita bona fama homines defendit contra obtrectatores. Sic Judith quia erat famosissima et timebat Dominum valde, neo erat qui loqueretur de illa verbum malum, ut dicitur Judith. VIII. cum in obsidione Bethulia splendissime adornata exiret de civitate ad hostium castra, nemini suorum civium suspicionem malam fecit, quasi ad civitatem prodendam, vel scelus aliud perpetrandum pergeret: sed a senioribus civitatis libere exire permissa est, licet illi nescirent nec interrogarent, quid actura esset apud hostes et Holofernem, Judith. X. cum tamen alioquin in simili negotio cautissime procedi soleat, nec facile quis e civitate obessa ad hostes emitatur, nisi constet quid acturus sit.

Contra Phariseus, Luc. VII. videns Magdalenam adhuc infamem ad convivium intrantem, statim memor malæ ejus famæ, male suspicari cœpit de ea; quod nimurum ex levitate potius et peccandi quam penitenti voluntate advenierit.

IV. Quia semel perdita difficile recuperatur, acquisita vero diu conservatur, et transit etiam ad posteros: unde dixit Eccl. c. XL. de bono nomine: *Hoc magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi et magni.* Hinc commendantur liberi a probitate parentum suorum: sicut et Joan. Baptista a parentibus suis, Luc. c. I. Erant, inquit, justi ambo ante Deum, incidentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela.

Contra, ut dixi, semel perdita difficulter reparatur: quia semel diffamatus semper illud audiit: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Ut enim ignis facile servatur, sed extinctus difficile reactetur: ita etiam fama bona. Non debet tamen idcirco, qui aliquando vel semper male audiit, desperare de recuperatione sui nominis: sed potius pertinaci morum emendatione vincere opinionem, maxime si ea falsa fuit: *Falsus enim rumor cito opprimitur, et vita posterior indicat de priore,* ait S. Hier. in ep. ad. Furiam. Quinime Magdalena, quæ prius erat et dicebatur peccatrix ob publicam infamiam, ita mutavit nomen ut postea Christi amatrix præcipua dici mereatur.

Quod si morum probitate, vel vitae emendatione iniquam a te famam depellere nequeas, notidice tamen plus aequo constringeris: est, haec una, ex calamitatibus humanis, quam ne sanctissimi quidem effugere ex omni parte potuerunt. Sic enim apostolus, II. Tim. III. *Laboro usque ad vincula, quasi male operans (Græce malefactor), q. d. merces mei laboris est ut vincias vel malefactor, sufficit tibi in hoc casu, conscientia tua.* Demetrius Phaleræus Atheniensium prefectus, cum in exilium fugere compulsus, audisset trecentas illas statuas, quas ei Athenienses ob præclaræ facta erexerant, ex invidia dejectas et in matulas per ignominiam conflatas esse, subridens dixit: « Statuas quidem evertere invidi pertuerunt, virtutes autem et præclaræ gesta, quibus præmia imagines illæ extiterunt, nunquam abolere poterunt. » Plut. Apud sat multos hear audies, si apud Deum et temetipsum: *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat? Quis est, qui condemnat?* Rom. VIII. Restituet hic sub tempore omnibus honorem debitum. Interim conscientia nos soletur: *Conscientię satisfaciens* ait Seneca, *nihil in famam laboremus, sequatur vero mala, dummodo bene merearis.*